



## Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

28. Dies Aprilis. Non est mendacium, cùm filendo absconditur verum, sed  
cùm loquendo promitur falsum. S. Aug. cont. Mend. c. 10.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

## 28. DIES APRILIS.

Non est mendacium, cum filendo absconditur verum, sed cum loquendo promitur falsum. *S. Aug. cont. Mend. c. 10.*

Mendacium. I.

**N**on mentiar, si dixerò mendacium, humanæ societati inter omnia vitia, maximum inferre detrimentum. Qualis enim es-

set hominum vita, sine veritate? aut quis status universitatis, sine illo Rationis, & Orationis decore; quod si tollas, non de mundo solem sustulisse, sed ipsum Bonum videre? quod Sol oculis, hoc veritas menti est: absque illa neque in privatis domibus, Pax; neque in foro, Justitia, neque in mercimoniis, fides, neque in artificiiis peritia, & cognitio certa ulla existeret: sine illa, omnis humana politia, civilisque, & mutua consuetudo nihil aliud esset, quàm obscurum in tenebris, & nocte prælium; ubi nequeat intelligi, quis amicus, quisvè proditor alienæ salutis, cujus arma, aut præsidium ferant. Sine veritate, medicamenta sunt venena, pietas, infanda superstitio; consilium fit exitium; significatio comitatis, & humanitatis, crudelis animi odium tegit. Deniq; extinctâ, & consepultâ veritate, priscum illud Chaos in mundum revocatur, cum teterrima rerum omnium confusione: illa tamen mundo tam necessaria, tam est in mundo rara, ut videatur jam ejecta è communi hominum societate, supra stelliferos globos evolasse, atque adeò è terris migrasse.

III. Contra ex fatu Mendacii pullulant in orbe

X

terra-



terrarum versuti, & doli artifices, & iniusti, & deceptores, versipelles, è fallacia generati. Qui loquuntur mendacium, eorum os aperit dæmon, ait Origenes. Hinc benè S. Antiochus: (a) *Necesse est ex hominis ore, nullum effundi sermonem, qui non veritate omnino nitatur, ut spiritus ille veritatis, qui idē Deus est, intelligatur in hac carne sibi delegisse domicilium, qui per hoc, apud omne hominū genus comperietur veridicus.* Vult significare unumquemq; accepisse Spiritum Sanctum ad loquendū, eum inhabitare in domicilio pectoris nostri, ac uti nostrā linguā, ut sonoro plectro. Qui cum sit idem spiritus veritatis, atque Deus, probrum, & contumeliam infert Divinæ Majestati, qui mendacium concipit; cum non nisi Deo movente, atque moderante loqui debeat. Mendacium propterea tam fœdum exosum etiam Ethnicis hominibus, tamen Patri Mendacii autoratis, ut Periander inter leges, quas Corinthiis tulit, hæc una fuerit: *Quisquis, aut vir, aut mulier in detrimentum alterius, mendacium dixerit, integri mensis spatium, lapillum in ore gestato.* Non enim æquum est, loquendi libertate frui, qui in mentiēdo effrans est. Hæc lex, si vigeret inter Christianos, vix ullus esset sine lapillo in ore, quia mētiri, est apud omnes in more

III. Sed quid est, quod nihil ægrius feramus, quam mendaces dici; nihil libentius, quam esse. Omnis homo, est mendax non tantum linguā, sed vitā; mentitur non tantum verbis, sed factis. Pudet audire, quod mentiēdo decipiamus, & placet vivendo deciperi, & quod miraberis, placet decipi. In neminem majorem insurgimus stomacho, quam dum nos arguit de mendacio: & interim, toti sumus consuti è mendaciiis, frons, oculi, vultus, manus, pedes, membra omnia

(a) *Hom. 3. in Exod. In Gen. 6. 2.*



Aprilis.

Tessera.

323

nia continenter mentiuntur. Quotus quisque non est fronte Cato; corde Nero: exterius, est comis, & gravis; interius crudelis & sævus. Quoties quis specie est formosâ, ut Helena, pectore est rabido, ut furia. Puffilli animi est, tacere veritatem ob mortis minas: an- nê & propter mortem, aut vani honoris expectatio- nem, velle decipi, & sibi imponere, honorificum erit? Ægyptii rationem vitæ, quotannis exigentes ab exte- ris, damnabant morte mentitos, rati indignos vitâ, qui de vitâ suâ falsum dicerent. Nosne innocentiores erimus, qui vitam ipsam mentimur, & ne benè vivamus, decipimur? Ne putes mendacium solis ver- bis committi? est mendacium cogitationum, est re- rerum, est verborum, hoc est, est mendacium sensus nostri, & sermonis, & vitæ: Mendaces, mente sumus, cum sequimur quâ opinio, non quâ veritas trahit: cum species rerum non ipsas probamus; hinc contin- git, ut etiam vera dicturi, peccamus: & quia fallimur, fallamus. Claudio cum Augustino: (a) *Caevenda men- dacia, rectè agendo, aut confitenda, pœnitendo.* Sed ne multus sis in mendacio, cave à multiloquio. Nec e- nim à sulco veritatis deliravit, qui hæc exaravit:

*Multa susurrantes, mendacia sunt cumulantes.*

## 29. DIES APRILIS.

Nunc nec promittendi modus est; nec promissa frangendi pudor ullus. *Petrarch libr. 1. de Remed. Dialog. 110.*

Perfidia. I. **E**ffrontem oportet esse perfidiam, quæ audeat palam in om- nium conspectu ostendere fron- tē, cujus tanta est fæditas, ut supe-

(a) *De mendac. 6, 24.*